

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM

Au. de sym.
ad catechu.
Tit. 2

dei, per quam creata sunt omnia. Induit humanam naturam æterna veritas, supereminens omnibus creaturis suis, vt subditos erigeret ad se ipsam, vt aperiret nobis voluntatem dei, vt erudiret nos abnegare omnem impietatem, & secularia desideria, vt nos deprimeret a nobis ipsis, & ad se traiceret, vt carnales faceret spirituales, vt filios hominum per inlitionem adoptionis faceret filios dei, factus humilis, vt sanaret superbos. Exaltauit enim se homo & cecidit, humiliavit se deus & erexit. Nos cecidimus, ille descendit, Nos gemebamus, ille se inclinavit, ac manum deus homini porrexit, ac misere lapsum subleuauit. Conceptus de spiritu sancto, sine omni humana ac carnali actione, sine viri semine, idq; propter nos, vt conceptionem nostram carnalem, impuram ac damnatam mundaret, nosq; per infinitam suam patrisq; misericordiam in spiritu sancto regeneraret. Natus ex Maria virgine, ille sa ipsius virginitate ac pudore permanente, idq; propter nos & natiuitatem nostram, originalis peccati macula pollutam, purgaret deus & homo, nam qui posset hæc, nisi esset pariter deus & homo? Quis enim (vt Iob ait) potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?

Cur de spū
sancto cōce
ptus, & ex
virgine natus

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus,
mortuus et sepultus est.

Verbū cru-
cis, virt⁹ dei,
1. Corin. 1.

Christus ve-
re passus.
Esaia. 53.
Lucæ. 22

Lucæ. 24
1. Petri. 2.

Passus i cor-
pore & aia.

Matth. 26
Marci. 14
Lucæ. 22
Iohan. 12
Diuinitas in
Christo im-
passibilis.

IAm mysterium passionis ingredimur, quod Paulus Apostolus verbum crucis appellat, in quo solo oportet nos gloriari. Nam et si verbum crucis pereuntibus stultitia sit, his tamen qui salui fiunt, virtus dei est. In primis ergo credimus, Christum vere passum. Sic enim scriptura clamat apud Elaiam prophetam: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et in Euangelio Lucæ dominus loquitur: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Et iterum: Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Item prima Petri secundo: Qui quum pateretur, non comminabatur. Passus itaq; est in corpore & anima, indicans se verum hominem esse, captus, vinctus, contumeliosus adfectus, colaphis cæsus, conspuus, flagellatus, spinis coronatus, deniq; in crucem actus. Et ne existimes eum a passione, quod ad animam attinet, liberum fuisse, audi quid dicat: Tristis (inquit) est anima mea vsque ad mortem, & factus in agonia, prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrētis in terram. Absit autem, vt credas Christum vel damno aliquo aut iniuria impassibilis diuinitatis, in carne passum, aut passionem quam in carne & animo sustinuit, per diuinitatis vnionem absorptam esse. Vnio enim illa incomprehensibilis, singulis naturis suam proprietatem seruauit.

Quod